



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Idea Boni Et Perfecti Regiminis

Binet, Étienne

Mainz, 1675

Cap. III. Notæ Superioris tam austeri quàm rigidi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50077](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50077)

tales, quod eâdem mensurâ, quâ mensi fueritis, vobis remetietur. Profectò oraculum cœleste hic miser, & infelix pronuntiavit, experientiaque eum effecit sensatum, quem prosperitas antea stultum, & truculentum reddiderat.

### CAPUT TERTIUM.

*Quomodo dignoscatur superior austerrus, & rigidus?*

**C**Æcitas deploranda est, etiam hominis sagacioris, quod tam exiguam notitiam habeat sui ipsius, ut ille quem totus mundus fugillat ut nimis rigidum, persuasum sibi faciat, quod sit ipsa dulcedo. Quod si ei dicas, eum esse omnibus inuisum, ejusque regimen insupportabile, totum mundum accusabit temeritatis protestans se non esse notum, seque habere optimam intentionem, & cor suavitate refertum. Sed enim, hoc est grandis illusio, & deceptio tota misera. Nunquam alleganda est intentio, nec adferenda pro satisfactio-  
ne, sed præhabenda est, & præsupponenda. Et quidem in hac materia nec pili est æstimanda, cum ad nil deserviat. Ex exte-  
rio-

rioribus judicamus, & non ex iis, quæ non videntur. Quilibet asserit se habere bonam intentionem, si foris sese prodat, ei fides adhibetur, aliàs non. Ostendenda est verbis, actibus exterioribus, bonis affectibus; nam hæc tantùm sunt vera testimonia bonæ intentionis, & boni cordis. Videntur ergo signa regiminis asperi, & rigore pleni.

I. Prælatus itaque austerus dignoscitur ex verbis asperis, ficcis, ingratis, nimis præcocibus, brevibus, ex discursibus, qui non habent aliud exordium, quàm negativam responsonem, & repulsam.

II. Ex oculo feroci, qui videtur velle omnes illos devorare, qui eum humiliter, & quasi tremendo alloquuntur.

III. Ex accentu elato, imperioso, nimis absoluto, ita ut eum diceres Vespasianum.

IV. Ex visu, ex moribus, qui habent nefcio quam audaciam, & arrogantiam, ita ut jurares eum esse Payonem, qui se in gyrum distendit, ut miseras columbas transeuntes terrefaciat. Potest quidem id ei esse naturale, sed fateri debemus, hanc indolem naturalem esse pravam, adeoq; temperandam; nam aliàs molestiam, & tædium creabit.

C 7

V. Ex

V. Ex responsione negativa, antequam audiat quid petatur, & repulsione torva, & turpi subditorum.

VI. Et sanè sufficeret sola denegatio illius, quod petitur, immò hæc nimia foret, sed additio verborum asperorum, modus rigidus, ingratus congelat cor miseri subditi, qui potiùs mallet quodvis pati, quàm aliquid petere ab homine tam tetrico, qui videtur carduus spinosus, qui semper lacerat, semperque carnem & pellem aufert.

VII. Præterea austeritas Prælati ex eo dignoscitur, quod postulata illubenter concedat, ita ut subdito nulla fiat gratia, nec maneat obligatus, quin potius esset contentus repulsâ gratiosâ, & comi, quàm gratiâ tam illubenter concessâ.

VIII. Quod postulata nimis citò, nimis impatienter resolvat, absque ulla morâ, consilio, subditos ad primum verbum dimittat, eos condemnet, absque eo quod velit audire unam replicam.

IX. Ex eo quod communiter utatur verbis imperiosis, puta: ego sic mando; ego sic volo; hoc fieri debet, hoc præcipio in virtute sanctæ obedientiæ; ubi est obe-

obedientia? an non sum superior? Apage, nec verbum amplius de his loquere: si non facias, quæ tibi dico, cogeris ad illa facienda; jam dudum notus est tuus modus agendi, mortifica te, & jussa capesse. Hi & similes termini sunt signa Prælati austeri, asperi & dominativi, cujus caput adeo turget Prælaturâ, ut non recordetur se esse Patrem, fratrem, servum, immò est peior illo misero subdito, cui loquitur, ac si esset Imperator, vel supremus Monarcha.

X. Et sanè quidam animi debiles, & infirmi uno mense plura similium verborum proferent, quàm faciat superior magnanimis spatio quinquaginta annorum. Sunt plures, qui toto tempore vitæ nec semel dixerunt: mando hoc tibi in virtute sanctæ obedientiæ; interim aliquis vilis, stupidus, vento plenus, decies hoc faciet in die, & quidem ob lanam caprinam, quod valde turpe est. Et sanè melius faceret, si præciperet in virtute sanctæ charitatis, & mansuetudinis; nam unus modus obdurat, & obfirmat corda, alter verò illa potenter lucratur.

XI. Præ-

XI. Præterea austeritas Prælati dignoscitur ex eo, quod credat falsis relationibus, personis suspiciosis, quæ jugiter augent ea, quæ observarunt in aliis, absque eo quod sua dicta probent, adeo ut ad primam relationem dent pœnitentias, dent capitula, valde acria, & mordacia. Et in hoc committuntur duo errores; nam primò miser accusatus, inauditus condemnatur; secundò, superior sæpe decipitur, & successu temporis in cognitionem veritatis venit, & videt se innocentem punivisse, & absque culpa pœnitentiam imposuisse, verbaque indigna virtute Superioris, qui debet esse Judex, ut audiat utramque partem, & Pater, qui magnam clementiam, & mansuetudinem exerceat, effuivisse.

XII. Magnus, & crassus defectus est, increpare subditos ob rem nullius momenti, & verbis asperis, visu turbato, modo valde immani, ex musca facere Elephantem, ita ut miser subditus, qui coram Deo ne quidem veniale peccat-

catum patravit, tractetur, ac si abominandum commisisset sacrilegium.

XIII. Esse nimis præcipitem, & impotentem in objurgando, est magna infirmitas; Crassa est stoliditas sub prætextu zeli, nec minimam rem mundi sufferre, vix videt Prælati minimum jocum; minimas nugas, & fit totus ignis. Nil pejus est quam suam auctoritatem impendere in rem nullius momenti. Et revera cum possis aliquid emendare unico verbo, immò forsan absque ullo verbo; cur tantum excites tumultum? Hoc videtur esse magna impotentia, & signum, quod Prælati nil concoquere possit instar hominis, qui habeat adeo debilem stomachum, ut si comedit, omnem cibum egerat. Et hæc est causa, cur totus mundus te fugiat, quia videt tuos oculos, tuam linguam eadem rotâ moveri, adeo ut si oculus aliquid, quod displicet, videat, illicò lingua solvatur, sua tela ejaculetur, & sæpius plus quam oportet, acerbior sit. An ergo amiseris omnem longanimitatem?

An

An habeas tam exiguam patientiam, ut nihil sufferre possis?

XIV. Nunquam deberet reprehendi unius tantum defectus, maxime dum adhuc durat, & sanguis bullit, quia delinquens necdum capax est correctionis, seseque forsan defendet, & tam ferventer respondebit, ut te etiam inflammet, adeoque tu, cujus sanguis profilit ad cor, & caput, quique imaginariis te despici, pauca efficias, quæ faciant ad propositum; subito punges, debebis disputare, tuam auctoritatem, reputationem impendere, adeo ut forsan magis peccaturus sis in objurgando subdito, quam ille delinquat in defendendo suo defectu. Da ei tempus, ut possit agnoscere suum errorem, & ut tu melius, & absque indignatione possis satisfacere tuo debito. Defectu hujus milleni quotidie committuntur defectus, & quod pejus est, dum omnia destruuntur, Prælati putat, quod bene faciat.

XV. Magna haud virtus est, faciles præbere aures defectibus, difficile est eas prætere virtutibus; contrarium enim fieri

fieri deberet, quale enim cor possit habere subditus, qualem amorem, qualem fiduciam, si videat, quod tam sinistram opinionem de eo habeas, quod facillimè fidem præbeas ejus defectibus, exiguam autem, vel nullam ejus virtutibus, rationibus, innocentia?

XVI. Semper esse immanem, torvum, tetricum, nil aliud inculcare, quàm quod subditus debeat se mortificare, obedire, quod unus sit nimium delicatus, alter nimium obstinatus, & inflexibilis; quod subditus non sit deditus virtutibus; hi & similes discursus sunt signa Superioris austeri, qui non habet cor, aut viscera; vel si illa habeat, sunt ferrea, inflexibilia, ita ut nec nomen viscerum mereantur.

XVII. Robusti & validæ complexionis, nunquam, vel quasi nunquam, malè habent, aut aliquo morbo infestantur. E contra illi, qui temperamentum habent biliosum, calidum, melancholicum, sunt valde crudi, præcipites, ita ut dum quasi nesciunt, quid sit defectus, faciliter alios condemnent; & cor adeo habent durum,

rum,

rum, ut compassio nullam invasionem facere possit. Et quidem hunc suum defectum palliant nomine constantiæ Spiritus, & generositate animi, dicuntque se esse imperturbabiles, plenos zelo, quodque absolutè & exactè velint observari regulam, & rident, dum allegatur illud Proverbium: *Summum jus, summa injuria*, quodque justitia nimis severa sit potius rigor, quam justitia.

XVIII. Dum semel aliquid jubent, si-ve placeat, si-ve non placeat, adimplendum est. Nec hic dico rem bonam esse facili-ter mutare bona proposita, sed solùm as-fero, quod Prælatus non debeat esse inflexibilis, obstinatus, inexorabilis. Admi-nus subditus hoc exiguo solatio recrean-dus est, ut ejus rationes audiantur, & per-pendantur; nam si contingat, uti contin-gere potest, quod contemnatur, & parùm æstimetur illicò sumit ansam condemnen-di regimen, & existimandi, quod subditi non audiantur, cor obfirmat, nec conatur suum judicium, & murmuraciones inter-nas cordis coërcere. Et revera quale sit piaculum auscultare, & dare hoc solatium

tium subdito, quî erit vegetus, & sanus, cum totum suum cor effudit, & exiguum flatum in aëre puro, & sincero paternæ charitatis, Superioris hauserit?

XIX. Et quidem nemo inficias ire auserit, dari subditos valde importunos, molestos, capitosos, temerarios, parùm mortificatos, discolos, querulos fallaces, obstinatos, immò peiores; nemo inquam hoc negare potest, quia semper tales fuerunt, & in futuro tales erunt. Et quamvis erga tales aliquis rigor adhibendus sit, attamen hic temperandus est prudentiâ, & efficacia. Verùm, eccur illi, qui sunt Agni & Angeli, quique possunt corrigi unico verbo, debeant probare tuum rigorem? Et cur assuescis huic aëri pravo, quem hausisti, huicque pravo mori omnes eodem modo gubernandi? Fac uti Christus faciet in extremo iudicio, separa hœdos ab ovibus, sis rigidus ubi oportet, dulcis, ubi res ita exigat, ne dicatur, te erga omnes æquè asperum esse.

XX. Rigor maximus totius mundi, & minime

nimè tolerandus est illorum, qui volunt à subditis exactissimè minimam servari regulam, altissimum servari silentium, submissa, & non alta voce verba proferri, cum tamen ipsi nihil horum, vel valde pauca observent. Eorum fervor versatur tantum circa alios. Aliis non sunt nisi rigor, sibi ipsis mera indulgentia, & ita omnia in verso modo faciunt, & adversantur stylo Sanctorum, qui tantum sunt rigidi, austeri erga seipsos, omnemque dulcedinem effundunt in miseros subditos, & bonos filios, quos tenerè amant.

XXI. Res ridicula est, quod juvenis, qui vix fuit superior per quindecim dies, fulminet ac si foret Generalis, vel in regimine annosus. Ut ostendat se esse superiorem, omnia revocat, quæ ejus Antecessor ordinavit, & autumat se majorem authoritatem, reputationem acquisiturum, dum aliorum authoritatem deprimit. Hoc est signum animi valde debilis, & vento referti. Nec mirari debemus, si ab animo vento referto non oriatur nisi ventus, & sidus adeo frigidum, quod congelat corda eorum, quos tanto  
im-

imperio alloquitur. Porro hæc authoritas sensim deficit, & experientia docet, quod subditi, & inferiores majori fructu regantur, quando æstimantur, & Prælati eos se sanctiores, & meliores judicat. Animi debiles superiorum ob magnam impotentiam faciliùs labuntur in hos defectus. Verùm enim verò, hic acer humor meliùs corrigetur, si videamus signa eorum, qui regunt Spiritu mansuetudinis, & cordium reges sunt.

### CAPUT QUARTUM.

*Ostenduntur signa regiminis dulcis, & qualiter aliquis se habere debeat.*

**D**otatus magna mansuetudine in suo regimine est Rex hominum & cordium. Ut quis bene imperet aliis, sibi ipsi bene imperare debet. Tu, qui tuis affectibus, tuæ impatientiæ imperare nequis, desipis, si putes te aliis imperare posse. Quilibet se putat habere hoc talentum, & stultè existimat se sufficientem habere mansuetudinem. Et hoc possumus dicere